

LO STAMPATORE  
A' LETTORI.

**N**EL mentre appunto, che da alcune Letterate Persone veniva ricercato, se l'Autore della Theologia Supplex, non avesse a lasciare senza risposta i suoi avversarij, avessi punto replicato al Colloquium Patavinum inter Publum, & Nevium, contro quella pubblicazione; ecco mi capita alle mani la presente Lettera Apologetica in risposta al medesimo, da corse, e gentil Persona a me comunicata. La curiosità di que' Letterati m' ha fatto risolvere di donarla al pubblico per via della stampa, anche prima di ricercarne l'assenso del suo Autore; mentre siccome questi, contro il consiglio de' suoi Amici s'è fatto a confutare quel Colloquio, e si protesta nel fine di questa Lettera di non voler proseguire a confutare gli altri, che dopo quello comparissero; così probabilmente non m' avrebbe agita una tal licenza concessa. Tu, corse Leggitore, prendi di buon grado il desiderio, ch' ho d' appagar mai sempre la tua curiosità, offrendoti cose nuove, e dagli eruditissimi ricercate; e vivi felice.

TYPOGRAPHUS  
LECTORI.

**Q**UERUNT jamdudum, inquiruntque nonnulli eruditi viri, an Auctor Theologiae Supplex, quem norunt adversariorum suorum dictoria nunquam surda aure praterire, ad Colloquium Patavinum inter Publum, & Nevium contra praxam Theologiam adhuc responderit. Mihi gratulor, quod mihi datum sit eorum votis facere satis: Cum enim ab Amico mei studiosissimo transmissa ad me fuerit epistola hac apologetica, opera pretium duxi, eam typis tradere, inconsulto ejus Auctore, qui forte veniam hanc mihi non indulisset, eo quia dehortantibus amicis Colloquium illud exagitandum, confutandumque suscepit; mox sub epistolae finem palam profiteretur, se Collocutores illos, quantumvis in posterum garrire voluerint, multo responsum honore dignaturum. Tu interim, Lector benevole, vale, meumque studiosos homines novis, eruditisque lubricationibus donandi desiderium aequi, bonique consule.

237  
COLLOQUII  
PATAVINI  
CALUMNIA DEPULSA,  
SEU

Ad Clarissimum Virum

EPISTOLA APOLOGETICA,

In qua Colloquium Patavinum inter Publum, & Nevium ignorantia, fraudis, calumnia convincitur, appatis ad singula illius capita notis censoriis, & anticriticis.



**H**ORTARIS, Vir Clarissime, suadesque, ne opus aggrediar vanum irritumque, confutationem scilicet, Colloquium Patavinum inter Publum, & Nevium novissime scripti, & quaquaversum per publicos curiores ac veredatios disseminati. Illicitum vetitumque dicis ad hujusmodi nenias respondere, monente Salomone Proverb. cap. 26. v. 4. Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. Addis supervacaneam fore operam meam, quod duorum Collocutorum, qui suam in ea scena fabulam ludunt, aberrationes, lapsus, insultationes, calumnias ita per sese pateant, & in omnium qui Theologiam Supplicem legerint, oculos incurrant, ut neminem captare, percellere, aut commovere tantulum possint. Subjungis maleexti Dialogi fascinatorem, adeo non esse eruditi Theologi, quale pro tua humanitate me dicis, confutatione dignum, ut potius Theologorum, Oratorumque infima nota ludibrii sibilisque dignissimus sit: tum ob defultorium quem tenet scribendi modum, de calcaria in carbonariam saepe decurrens; tum maxime ea insertas ubique passim, maleque confutas, ad peregrinae eruditionis ostentationem Poetarum lacinias, atque sententias; ut in eum illud Jobi merito cadat: Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? Cap. 26.

Da veniam, Vir Clarissime, si ad tua consilia non omnino descendo, quodque dissuades opus, non prosum abduco, atque rejicio. Quandoquidem tuus ille, quem mihi monitorem donas, Salomon, consiliariorum certe sapientissimus, hoc ipso quem mihi recitas loco, Proverb. 26. v. 5. e vestigio subjungit: Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur. Quod ne cum altero ejusdem a te laudato monito pugnare putetur, sic Patres interpretantur: non esse scilicet stulto respondendum, ut ei similes efficiamur; impotentis animi ef-

frenatione, injurias, ut stulti faciunt, injuriis repellendo; probra, convicia, maledicta jaciendo; esse tamen stulto respondendum sapienter, suaviter, pacatoque animo; ne se solum sapientem existimet. Quo certe modo respondere animus mihi est; quippe qui a Divo Hieronymo didici, nihil causae praeesse maledicentibus remaledicere, & adversarios talione mordere, cui praecipitur malum pro malo, non reddere, sed vincere in bono malum, & alteram verberanti praebere maxillam. Epist. 65.

Esto etiam supervacanea ac proptus inutilis foret opera, in confutando Colloquio Patavino impendenda, si quotquot Supplicem Theologiam legerunt, ea essent eruditione atque doctrina, ut Interlocutorum, in ea vellicanda, lapsus, aberrationes, calumnias, per se ipsi retereget ac deprehenderent: quia tamen tales plerique non sunt, iccirco monstratore illis est opus, qui has illis subdolas artes aperias, & in propatulo ponat.

Addiderim, rei nostrae litterariae censores non paucos esse, adeo judicio corruptos ac depravatos, ut alterius disputatoris silentium, certum deplorata ac deperdita causa indicium putent, & reportata victoria palmas ei semper adjudicent, qui ultimus scripsit, aut dixit, quamquam improbantibus cunctis ac subannantibus, causam ipse suam oraverit. Cum ergo Apostolo teste, sapientibus, & insipientibus debitores sumus, non nihil reponere juvat, ne causa cecidisse, vel ipsis etiam imperitis censoribus & osoribus videar.

Ne tua tamen, Vir Clarissime, consilia omnino negligam, quod amice dissuades opus sin minus integre faciam, ac rudiore saltem manu informabo. Malenatae scripturunculae summa capita percurram ex ordine, atque dispungam, leviter tantum, ac defunctorie: loca illius omnia, quibus cubat error, aut mendam, aut probrum, aut calumnia, obelo configam, brevique nota dispungam; ne Lector incautus frequentibus in Theologiam Supplicem factis conviciis capiatur ac deludatur.



Colloquii Patavini inter Publum, & Nevium  
Criticem examen.

## §. I.

**P**agina statim primo Colloquii Patavini, ac sub ipsum confabulationis initium, proludialis Interlocutor Supplicem Theologiam, libellum furivis typis enatum, & abortivum pessimi, & obscuro ingenio sermone appellat.

## Nota I.

**R**esp. Annon hic locum habet Apostoli tremenda sententia ad Rom. 2. *Inexcusabilis es o homo omnis qui iudicas; in quo enim iudicas alterum; te ipsum condemnas, eadem enim agis, que iudicas.* Quibus enim typis enatum est Colloquium Patavinum? Quo felici partu in aperta luce emerit libellus ille vere famosus atque maledicus? Quo benigno, quo bono obstetricante genio, liberali saru editus est? O si liceat Principum referre secreta! intelligeres, blatero loquacissime, quam legitimis, quam liberis, quam permixtis typis edita fuerit Theologia Supplex. At sacramentum Regis abscondere bonum est. Tob. 12.

## §. II.

**E**adem illa pag. 1. sub medium, Theologiam Supplicem acatholicam dicitur idem proludialis Interlocutor, superbam, cecam, crassa ignorantia laborantem, qualem amplexi sunt Frichius, Jageri, Jonicob, & Anonymus, sive ipse Quenellus in Hexaplis, & moderni Refractarii adorant. Ob id maxime, quod debito cordis, & oris obsequio Dogmaticam Constitutionem complecti, & debita obedientia profecti nesciat; petatque ab Apostolica sede explanationes, & declarationes, non ut sincere obediat, sed ad quarendum nodum in sermone, ut relinquit, ut refragetur.

## Nota II.

**R**esp. Ceca, obstinataque calumnia illa est, facta palam aperteque repugnans. Theologia enim Supplex sub ipsum statim initium, (pag. 11.) sancte religioseque profectetur, se sincero mentis assensu Clementinam Constitutionem complecti, eandemque tanquam latum ex D. Petri mente atque sententia iudicium reverenter accipere; nec alio animo illius explanationem postulare, quam ut sanctam in ea Constitutione doctrinam certius tradat, eoque validius resolat perniciter, qui eo nunc Apostolicæ sedis iudicio, ad ipsius Pontificis dignitatis injuriam, ad animarum perniciem, ad sanctioris discipline laxamentum, ad probatissimorum dogmatum proscriptionem, ad Augustini, ceterorumque Patrum contumeliam, insigniter abutuntur. Quare nisi Supplicem Theologiam falsi convicerit proludialis Interlocutor, factamque ab ea solemniter professionem, violatam aperte distincteque probavit, atrocissimæ calumniæ reus est.

Sed & tantum abest, quin Frichius, aliique moderni Refractarii Supplicem illam Theologiam amplexi sint, ut potius contrariam fuerint amplexati, scriptisque defenderint; in quibus Clementinam Constitutionem totis viribus impugnant, calumniis proficerunt, antiquæ Patrum traditioni adversam contenderunt, quæ nulla potest benigna interpretatione molliri atque defendi.

Quod quidem pag. 13. Theologiæ Supplicis ita discrete est adnotatum, ut facile videre potuisset proludialis Interlocutor, nisi eum impotens excæcasset invidia, calumniandi libido. *Heretici, inquit Theologia Supplex, quibus Romanam Ecclesiam calumniis proficere solenne est, violatam Clementinam Constitutionem Apostolicam fidem, reserissam morum disciplinam, solutas sanctissimas leges, inducunt laxitatem, instauratum Pelagianismum impie criminantur. Quod nefario ausu tentavit nuper JOANNES FRICHIUS Minister Ulmenfis, vulgato famoso libello, cui probrum titulum dedit, Clementis Incontinentia examinata. Itane quæsto in Clementinam Constitutionem blasphemam Theologia Supplex, ut eam amplecti & adorare dicendi sint, qui sic sentiunt, sic scribunt, sic loquuntur?*

## §. III.

**E**adem pagina illa sub finem, exprobat idem Interlocutor Supplicem Theologiam, quod pacem Scholis suis dari petat a sedente nunc Romano Pontifice, quamquam eam Clemens XI. & Benedictus XIII. Constitutionibus suis, & Brevis Apostolicis dederint.

## Nota III.

**R**esp. Imprudens sane exprobatio, quæ ab eotantum obici potest, qui quo statu Augustinæ, & Thomisticæ Scholæ sint hodie, profus ignorat. Audiat ergo exprobrator imprudens. Quam dederit, aut certe dare volere bonam pacem laudati Pontifices, hanc Theologi Moliniani, Clementina Constitutione in publicis disputationibus fidentius abusi, violaverunt; dum feliciter damnatis inibi Quenellianis propositionibus, Augustinianæ, & Thomisticæ capita quamplurima contineri indefinenter obiciunt; nec esse ovum ovo similis ubique deblaterant, quam illis ista. Istæ cum illis mutuo conferant in publicis circulis, pari trinita pendunt, eademque Clementinæ Constitutionis Censura involvunt. Nonnulli etiam Galliarum Episcopi Scholæ Molinianæ principis imbuti, pleraque Thomisticæ Scholæ dogmata suis in Diocæbus publice defendi non sinunt; quod ea in Clementina Constitutione damnata sibi fingant: cum contra, Episcopi alii melius instituti eadem illa propugnari defendique velint, ipsique defendant. Quæ res tantas in Ecclesia Gallicana turbas excitavit, ut pro pace concilianda, novaque Clementinæ Constitutionis explicatione obtinenda, Clementi XII. supplicatum sit, Christianissimi Regis nomine. Hæc si nescis, proludialis Interlocutor, imprudentissimus es, dum has Theologiæ Supplicationes inculpas; si nosti, es iniquissimus, & impudentissimus, dum Regis Christianissimi Supplicationes hodie Pontifici factas exprobras, & crimini vertis.

## §. IV.

**P**agina 2. & 3. Theologiam Supplicem effrenis accusat impudentiæ, debitaque Summi Pontificis obedientiæ transgressorem traducit idem ille Interlocutor; propterea quod scripserit, Ecclesiam, Romanosque Pontifices propositiones

non-

## Nota V.

nonnullas, variis sensibus per se se obnoxias, quandoque damnasse, nulla facta sensuum distinctione; quas subinde legitimo sensui redditas abolverunt, approbarunt, & consecrarunt. Eademque Theologiam Supplicem, uti Historiæ Ecclesiasticæ profus ignarum insectatur, imo etiam corrupticem appellat; quasi damnationum & approbationum illarum, quæ pro sensuum diversitate sint factæ, exempla protulerit omnino falsa, vitata, & commenticia.

## Nota IV.

**R**esp. Perperam, ignoranter, ac etiam insulte ea in Theologiam Supplicem constatur accusatio. Quid enim frequentius inculcant celeberrimi hujus aevi Theologi, Petavius lib. 4. de Incarn. cap. 6. Thomassius Dissert. 19. in Synodos, Christianus Lupus in Notis ad Synodum Ephesinam, Henricus Cardinalis de Noris ubique passim, lib. 2. Histor. Pelag. cap. 20. in Vindiciis Augustinianis cap. 3. §. 2. ac tandem in Apologia Monachorum Seythiæ, ab Anonymi scrupulis vindicata cap. 1. quam posse unam eandemque propositionem isdem omnino verbis expressam, in uno sensu ab Ecclesia damnari, in alio vero ab eadem Ecclesia approbari? Cardinalis Noris ipsissima verba sunt. Immo hujusmodi damnationum & approbationum variis temporibus factarum exempla profert, probatque Noris loco jam appellato, aliique celeberrimi Historici proferunt approbantque, quæ Theologia Supplex pag. 21. 22. 23. subindicavit. In Synodo Antiochena, inquit Noris, vocem *ipsum* in sensu Pauli Samaritanæ Patres rejecerunt, quam in sensu catholico Nicæna Synodus consecravit. Latina Ecclesia vocem hypostasis distinctam accepit, quam Græci Patres tanquam catholici dogmatis contra Sabellium expressam invecrarunt. Nomen Christiparæ ante Nestorii heresim, nulla latentis erroris labe suspectum erat; quod tamen in sensu hereticæ Synodæ Ephesinæ Can. 6. proscripsit. . . . Propositio; Unus de Trinitate passus est, ambigui sensus erat, ob vocem unum; quare eam thesim Felix III. & Hormisdas reprobarunt; quod inde vel pluralitas Deorum inducebatur, vel ipsamet divina natura passibilis in se ipsa perperam dicebatur. At in illa propositione vox unus personaliter pro divina persona usurpata, catholicum sensum habet, in quo a Joanne II. approbata fuit. Hæc ibi Norisus. Et in vindiciis Augustinianis cap. 3. §. 2. Sciendum est, inquit, aliquas propositiones æquivocas modo ab Ecclesia rejici, modo approbari. Hoc ostendimus lib. 2. Histor. Pelag. cap. 20. de illa propositione. Unus de Trinitate passus est, quam Hormisdas rejecit, & Joannes II. Vigilius, & Synodus V. uti catholicam deservierunt. Quibus plane concinit Natalis Alexander Dissert. 14. in Histor. quarti sæculi: Vox *ipsum* inquit ille, in Synodo Antiochena damnata fuit in sensu Pauli Samaritanæ, qui ea abutebatur; non in sensu catholico, quo eam usurparunt Nicæni Patres.

Quid ergo in contrarium deblaterat Scenicus Interlocutor; eaque exempla a Theologia Supplicente subindicata cavillatur, & arrodit?

## §. V.

**P**ag. 4. sub medium, Theologiam Supplicem perulantiore audacie ream agit Interlocutor, quasi dixerit, in pluribus propositionibus Quenelli nullum sensum pravum apparere; indeque consequens esse contenderit, Clementi XI. a delatoribus fuisse obreptum, eumque iccirco deceptum univere Ecclesiam decepisse.

**R**esp. Falso, ignoranter, insidiosè criminatur fervidus Declamator, Falso inquam, quia nec sic immoderate locuta est Theologia Supplex, sed sic: *Quis primo oculorum conspectu non videat, Quenellianarum Propositionum bene plurimum sensum, per se se legitibus obrivum sanum esse & orthodoxum; easque non nisi SECRETIORI OCCULTIORIQUE SENSU, qui Auctoris est creditus, damnari proscribique potuisse.* Ignoranter vero criminatur Scenicus Theologaster: tum quia non illico obreptio censetur fieri Summo Pontifici, dum illi accipitis sensus propositio damnanda deserunt: tum quia non repugnat, imo peræpe contingit, obreptionem in hujusmodi casibus fieri, uti sexcentis exemplis est comprobatum. Insidiosè deum criminatur; quia ea certe non fuit Clementis XI. mens, ut quemquam Constitutione sua deciperet, tamen nonnulli sinistra illius interpretatione & intelligentia decipiuntur. Quod nunc in causa est, cur rectam illius intelligentiam & interpretationem a Regnante Pontifice submisit rogent Theologi, præsertim Augustiniani, atque Thomistæ; quibus germanam Clementis XI. mentem internoscere cordi est, ut suorum adversariorum insultus repellant.

## §. VI.

**P**ag. 5. sub initium, relatis permixtis Quenelli propositionibus, Scripturæ sacræ lectionem in commune commendantibus, Clementina Constitutione damnatis; quibus tamen pars in Ecclesiæ Patribus reperiri notat Theologia Supplex; id illi crimini vertit Publus Interlocutor, quod Sedem Apostolicam interpellat, ad late Censuræ rationem aperendam; explicandamque, an Clemens verberare intenderit in Quenellio Sanctos Patres, laudantes lectionem sacrorum codicum?

## Nota VI.

**R**esp. Ut calumnia Publus fruatur, Theologiæ Supplicis contextum fœde adulterat, maligne corrumpit. Non enim illa Sedem Apostolicam interpellat, ut declarat explicetque, an Clemens Sanctos Patres, sacrorum codicum lectionem commendantes verberare intenderit, lata in Quenellio Censura? Ecquis enim id vel stultissimus petat? Sed cum id eum non intendisse certo supponat, id unum petit explicari sibi, quo sensu eas propositiones damnaverit Clemens, ut cum Sanctis Patribus sacrorum codicum lectionem commendantibus, Clementina damnatio concilietur. Immo faciendæ conciliationis modum modestè suggerit Theologia Supplex, ac num probetur & congruat petit humillime pag. 32. quod certe non faceret, nisi Clementem XI. & Patres inter se convenire, certo supponeret. Annon, inquit, a Clemente damnata dicenda sunt propositiones ille Quenellianæ, intellectæ dumtaxat de absoluta & generali, a qua nemo possit eximi, obligatione legendi Scripturam Sacram, nulla habita ratione interditi aliquibus facti? Sic tamen ut relinquamus indemnes in eum sensum acceptæ, quod Scripturæ lectio per se se spectata & absolute, sit utilis, salutaris, pia, religiosa, atque uti talis omnibus consulenda, quibus aliunde peculiari de causa interdita non est. Quæ sane laudatorum Patrum sententia fuit.

## §. VII.



## §. VII.

P Ag. 5. sub finem, Theologiae Supplici idem Publius Interlocutor fidenter exprobrat, quod Quesnellii propositionem 29. Clementis censura confixam, (*Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia*) a delatoribus mutilatam, truncatam, & a suis adjunctis avulsam fuisse, observaverit.

## Nota VII.

R Esp. Quidni vero id observasset Theologia Supplex, cum ea propositio hinc verbis multo amplioribus apud Quesnellium expressa sit? *Ecclesia est domus salutis, extra illam nulla est salus, nulla est gratia, salus nulla, vita nulla.* Quibus profecto significatur, nullam extra Ecclesiam concedi gratiam, quae salutem operetur & vitam. Quae vero salutem operatur & vitam, gratia sanctificans est, qualis profecto extra Ecclesiam nulli conceditur; etsi aliae, maxime vero actuales & sufficientes, sapissime conferantur. Quare insulsum ineptumque Theologastrum se praebet Publius Interlocutor, dum recitata utraque propositione Quesnelliana, (tam quae in ejus Libro legitur, quam quae in Clementis Constitutione transcripta est) ita de utraque pronunciat: *Est ovum ovo simillimum, ne dicam deterius.* Immo, inquit ego, non est ovum ovo similius, quam sic Publius Zoilo, dum sic loquitur.

## §. VIII.

P Ag. 6. sub ipsum statim initium, idem ille Collocutor Publius, transcripta propositione 59. Quesnelliana, (*Oratio impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit est novum in eos judicium*) Theologiam Supplicem malitiae, falsitatis, & fraudis inculcat, quod Quesnellium illic agere observavit, de *Oratione iniqua, maligno, arroganti, ingrato, fallaci animo facta*; quae profecto peccatum est novum, *Fallit maligne, succulat scenicus reprehensor, fallit maligne.*

## Nota VIII.

R Esp. Annon potius malignissime & stultissime fallit, qui Quesnellium de hujusmodi Oratione illic egisse pertinaciter negat; & Theologiam Supplicem in illius referenda sententia, fallacem & malignam appellat? Quid enim clarior, quid nitidius, quid apertius, quam quod apud Quesnellium legimus, super versiculum 24. & 25. Capitis 10. D. Joannis Circumciderunt ergo eum (Jesum) Judaei, & dicebant ei, si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis Jesus, loquor vobis, & non creditis? Quem locum ita Quesnellius exponit: *L'iniustice, la duplicité, l'ingratitude, la malignité, et l'insolence de la priere des Juifs meritoir bien que Dieu leur accordat, pour achever de les aveugler & de les endurcir, la surabondance de lumiere qu'ils demandoient, pour le perdre. UNE TELLE PRIERE est un nouveau peché, & ce que Dieu leur accorde alors est un nouvel effet de son jugement, & de sa colere.* Quod ita latine vertitur: *Iniquitas, ingratitude, malignitas, fallacia, audacia Orationis Judaeorum id certe merebatur, ut ad eos excandos & obdurendos, Deus illis postulata concederet. TALIS ORATIO est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.* Quid hoc quaezo, Blatero loquacissime, quid inquam *TALIS ORATIO*, nisi iniquo, ingrato, maligno,

fallaci, audaci animo facta, qualem a Judaeis Christo Domino factam ibidem Quesnellius observat?

## §. IX.

P Ag. eadem 6. sub finem succentet Supplici Theologiae Publius Interlocutor, quod propositionem Quesnellianam 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium gratiarum, secundum sensum per se legentibus obvium, sanam dixerit esse & orthodoxam; quae iccirco non nisi secretiori occultiorique sensu, qui Auctoris est creditus, damnari potuerit.* Quare obvium ac per se se patentem propositionem illius sensum, *haereticum dicitur* Publius; ob id maxime, quod qui Fidem primam gratiam vocat, omniumque gratiarum fontem, gratiam in sensu Thomistico sufficientem apertissime neget.

## Nota IX.

R Esp. Pura putaque ineptissimi Theologastri cavillatio illa est; qui cujus generis gratia sit Fides, nequidem intelligit; cujus generis gratiae sufficientes sint, minus capit. Sciat ergo, Fidem gratiam esse *habitualement*, non *actualement*; gratiam vero sensu Thomistico sufficientem *actualement* esse, non itidem *habitualement*. Quare qui Fidem primam gratiam dicit esse, omniumque gratiarum, quibus Deo salutis auctori primo jungimur, fontem appellat, non illico gratias Thomistico sensu sufficientes diffiteri censendus est; cum gratiae actuales, habituales praecedere soleant. Nec advertit audacissimus arguator, eandem se calumniam, negatæ scilicet sufficientis gratiae, intentare Sacro Concilio Tridentino, Sess. 6. de Justificat. Cap. 8. definiti: *Fidem esse humanae salutis initium, fundamentum, & radicem omnis Justificationis.* Cum ex hac ipsa Sacrae Synodi definitione, pari arguendi licentia atque stoliditate concludi possit, gratiam Thomistico sensu sufficientem fuisse a Tridentinis Patribus rejectam atque negatam. *Si fides est salutis initium, inquiet non ab similibus arguator, radiceque omnis Justificationis, non dantur igitur ante Fidem gratiae Thomistico sufficientes, a quibus Justificatio initium capiat.* Quo nihil insulsum dici potest.

## §. X.

P Ag. 7. & 8. post longum Quesnellianarum propositionum examen de timore servili, quo evicisse se putat Publius collocutor, Quesnellium timorem mere servilem tanquam peccaminosum, omnique morali bonitate destitutum, cum *Luthero rejecisse, & infamasse*; Theologiam Supplicem infectatur, quasi Ecclesiae Patres tanquam huic *haeretico dicto* faventes advocaverit, eumque Aethiopem illorum suffragio & auctoritate lavare tentarit.

## Nota X.

R Esp. Calumnia, sciphantia in ipsorum etiam caecorum oculos salit, Deumque scelerum vindicem clamat. Tantum enim abest, ut quo loco eas Quesnellii propositiones expendit Theologia Supplex, Ecclesiae Patres, (quibus pares verbis tantum & syllabis sententiae exciderunt aliquando) de timore mere servili locutos dixerit, ut potius de altero longe diverso, *de timore scilicet mere naturali atque carnali, quem scilicet serviliter servientem Scholastici vocitant;*

quo

quo nempe plus timetur poena, quam culpa. Et hunc certe nemo Catholicus negat subjacere peccato. Reddat ergo verba mea mendacissimus Interlocutor, & evanescat calumnia ejus. Aliud quippe judicium tulit Ecclesia de timore mere servili, quam de timore serviliter serviente.

## §. XI.

P Ag. 8. & 9. Quesnellii propositionem 90. expendens Publius, (*Ecclesiam auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores, de consensu saltem praesumpto totius Corporis*) in Theologiam Supplicem probris ac maledictis invehitur; quasi *supremam Ecclesiae potestatem in uso supposito consistentem, ad democratiam, vel aristocratiam redegerit, consensum saltem praesumptum totius Corporis exigendo, in exercenda excommunicandi auctoritate.*

## Nota XI.

R Esp. Toto aberrat ostio loquacissimus Blatero; statumque difficultatis, quae a Theologia Supplici tractatur hoc loco, ne quidem intelligit, adeo est ille in rebus Theologicis peregrinus & hospes. Non enim de Romani Pontificis auctoritate in ferendo doctrinali judicio, illic agitur; neque an ex totius corporis Ecclesiastici consensu pendere debeat doctrinale Summi Pontificis judicium, disputatur: sed quaestio tangitur toto caelo diversa. Num scilicet Episcopi ad ferendam excommunicationis sententiam, in publicum peccatorem, fidelium illius Ecclesiae consensum habere debeant; uti Paulus ad incestum Corinthium excommunicandum, habuisse perhibetur? *1. ad Corinth. cap. 5. Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, jam judicavi ut praesens qui sic operatus est: in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu, tradere hujusmodi Satanae, ut spiritu salvus sit in die Domini Jesu Christi.* Tunc enim juncta spiritu cum Apostolo Corinthiorum Ecclesia, eidemque consentiens, videtur incestum hominem excommunicasse. Quocirca unice quaerit Theologia Supplex, quid sibi velit

illud, *Episcopus excommunicare de consensu praesumpto totius corporis Ecclesiae?* An forte, quod arbitrarius fidelium consensus, ad excommunicationis validitatem sit necessarius? An autem, quod Episcopus sententiam excommunicationis ferre debeat juxta mentem & intentionem Ecclesiae, ferendarum scilicet Censurarum canones ab Ecclesia conditos observando? Primum sensum damnat ut absurdissimum Theologia Supplex; alterum verbis disertissimis probat, tueretur, amplectitur, pag. 102. Quid hic vero reprehensione dignum? Aut quid hic est, quod ad invidiosam quaestionem, de suprema Romani Pontificis potestate, ejusdemque in ferendo de fide judicio, infallibilitate, trahi possit?

## §. XII.

P Ag. 10. & ultima, jactis alternatim in Theologiam Supplicem contumeliis, probris, conviciis, maledictis, fabulam claudunt ambo collocutores Publius, & Navius; sibi que mutuo parta victoria, epinicia concinentes, alterum Colloquium pollicentur, *ut ceterarum propositionum commenta percurrant.*

## Nota XII.

R Esp. Dignum certe patella operculum, digna cantioni & fabulae clausula! Ut enim tota est a capite ad calcem contumeliis, probris, conviciis, maledictis infarsa fabella, ita paribus scommatibus claudi debuit. Quia tamen majori quam antea temeritate, imo sola linguae procacitate atque dicacitate scommata illa jaciuntur, multo minus responsione digna judicantur. Si autem quam pollicentur fabulam alteram, eodem in theatro ludant, ad comicum ut spondent ceterarum propositionum examen; erimus & nos novi ludi spectatores in cavea, & comoedos Theologastros de sacris divinisque rebus stolidè garrientes deridebimus: at multo minus responsionis honore dignabimur. Tuncque Sapiens monitum religiosius quam fecimus hactenus, observabimus: *Non responeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.* Proverb. cap. 26. v. 5.

FINIS.



**CLEMENTINA,  
UNIGENITUS,**

A nuperis Anonymi Auctoris dubiis

**VINDICATA:**

*Hoc est,*

**THEOLOGIA SUPPLEX REFUTATA,**

*BREVI, SED CLARA* 101. *PROPOSITIONUM*

**PASCHASII QUESNELLI**

Ex ipsismet damnati Auctoris verbis plerumque  
desumpta explicatione,

**P E R**

**FR. PIUM VANDEN DYCK**

*Ord. Præd. Sac. Theol. Mag. in Univerſitate  
Lovaniæ. Licentiatum, Theologum  
Casanatensem, Belgam.*



Muta fiant labia dolosa, quae loquuntur adversus jus-  
tum iniquitatem, in superbia & in abusione.  
Pl. 30. v. 21. & 22.

## INDEX CAPITUM, ET MATERIARUM

- |  |   |
|--|---|
| <b>C</b> APUT PRIMUM. Profasio & Supplicatio ad CLEMENTEM XII. ab Auctore Theol. Suppl. directa examinatur & corrigitur. | CAP. IX. De Ecclesia.   |
| CAP. II. De damnatarum propositionum sensu, eorumque Auctore.  | CAP. X. De efficacia gratiae Baptismalis.                                   |
| CAP. III. De gratia Adami ante peccatum.   | CAP. XI. De confusuram & juramentorum usu.                                  |
| CAP. IV. De voluntate salutis omnium, deque Christi morte pro omnibus opposita.  | CAP. XII. De Lectione Sacrae Scripturae.                                    |
| CAP. V. De gratia hominis lapsi.   | CAP. XIII. De praedicatione Verbi Dei, & Divinarum Officiorum celebratione. |
| CAP. VI. De virtutibus Theologicis.  | CAP. XIV. De administratione Sacramenti poenitentiae.                       |
| CAP. VII. De oratione impiorum & timore.   | CAP. XV. De potestate dispensandi in legibus, & excommunicandi.             |
| CAP. VIII. De discrimine veteris ac novi foederis.   | CAP. XVI. De Afflictionibus.  |

## MONITUM.

Citavi aliquoties *Enchiridion* S. August. juxta veterem editionem, quae ad manum erat; in qua capiti primo praemittitur *Prologus*. Sed postea observavi, quod in nova edit. ipse *Prologus* fit Caput I. Unde si verba adducta non reperiantur loc. cit. in nova edit. videatur Cap. sequens.

## REVERENDISSIMO PATRI THOMÆ RIPOLL ORDINIS PRÆDICATORUM MAGISTRO GENERALI.

FR. PIUS VANDEN DYCK ORD. PRÆD.

*Perpetuam Felicitatem.*

**S**I, Opusculo hoc ad umbilicum perducto, statim mihi suboluisse dixerō necessitatem longe maximam, eidem potentem procurandi Patronum; eaque de causa ambiisse, ut nomen Tuum frontem illius exornaret, veritatem quidem dicam, verumtamen non totam. Est aliud, quod me non minus ad id audendum impulit. Innumeris Tibi obstrictus titulis, nec fortuna Tua desiderante remunerandi vicem, nec mea suggerente restituendi facultatem, cogebat gratitudinem meam hisce includere Ausonii verbis, AGO TIBI GRATIAS, IMPERATOR AUGUSTE. Sed quid est tenuem gratias ago exhalasse vocem? Fugacem reddidisse perennibus beneficiis sonum? Tinnitum pro solidis beneficiis? Quid ni eum, omnium laudibus celebratum, tenuis chartis gratitudinem tuam committendo, inquebam ipse mihi, imitatis? Placuit, stetitque consilium; eo firmius, quod credentem Opusculum hoc quale quale, quo aurum optimum a paleis, Doctrinam, inquam, S. Thomæ ab utulatis Quesnellii extravagantibus, pro modulo meo, conatus sum discernere, Tibi non displicitura Constitutioni UNIGENITUS submissos, pro S. Thomæ dogmatibus, ea qua par est reverentia Constatuioni UNIGENITUS submissos, pro S. Thomæ dogmatibus, velut pro sacratiori Palatio decertantes; nova caventes, avitam doctrinam strenue propugnantes videas. Is es, cui nihil æque jucundum, quam si in Ordine, quem summa prudentia gubernas, studium atque devotio, quæ animam Ordinis Prædicatorum constant, floreat, ferveatque. Et quid non excogitavit ardens tuum, hæc excolendi, studium? Talia quæ meritissimo jure non auribus solo viventium; sed oculis quoque nondum natorum Dominicanorum narreatur. Pauca referam, sed singularia, ac Tibi ita propria, ut quicumque Dominicanam historiam vel extremis labris degustaverit, illico Te ex iis, non secus ac Alexandrum Magnum ex Apellis imaginibus, sit agnitus. Ut studiorum amorem in animis nostris excitares, sciens nihil æque efficacem, quam majorum exempla; magnum illud Ordinis Bullarium expoliri, adornari, elegantissimisque typis edi curasti; perpetui commentarii loco: in quo, quid Ordo noster in Rempublicam Christianam contulerit; quales viros Ecclesia dederit: quot labores exantlaverit: quot tedia devoraverit, quasi in publicis tabulis, auctoritate Summa in terris, variorum concessionum privilegiorum roboratis & authenticatis videre est. Quid vero efficacius exvantiā, studium perfectionis, quam iisdem imprimere summi viri, nobilissima stirpe nati, divitiis affluentis quondam, in delictis nutriti, qui omnibus his prætulit abjectus esse in Domo Dei; summi demum Dei in terris Vicaria Majestate induti, qui fraternitatem nostram usque eo dilexit, ut affluentiæ summæ, infatigabili zelo obtinisti, ut Benedicti XIII. mortales exuvia & D. Petri Basilica ad nostrum Minervæ Templum transferrentur: tanta cum pompa, quanta non ego tantum, qui interfui, sed nullus, credo, mortalium majorem vidit, aut videbit unquam. Quatuor Ecclesiæ indubitatos Summos Pontifices Ordo Prædicatorum enutrivit: Innocentium V. Beatum Benedictum XI. Sanctum Pium V. & Benedictum XIII. (non annuero Joannem Vercellensem Ordinis nostri Generalem Magistrum; quod dubitent aliqui, an vere, quod alii affirmant, in Papam electus fuerit: neque Joannem Petrum Caraffa Neapolitanum, Paulum IV. dictum; (a) qui ante professionem a Parentibus Ordini ereptus, eidem post mortem restitutus est; quiescitque ad Minervæ, in Sacello Beatissimæ Virginis Annuntiatae, ac D. Thomæ Sacro) Sed ne unius quidem, quod hic gessit mortale offendere valeremus, nisi prudentia tua circa Benedictum aliud providisset. Ex quo quid nobis accesserit, ex verbis Cl. Affemani ad Venerabile D. Petri Capitulum colligi poterit. (b) Relatis variis a Benedicto Basilicæ Divi Petri præstitis beneficiis, subjungit; „ Sed hæc inania sunt, ac vana: neque in nostris, & posterorum animis eum amplius excitabunt pietatis ac religionis ardorem, quo, cum ad Chorū accederemus, Tumulum, in quo corpus Tuum venerandum, Pontifex Beatissime, jacebat, suspicientes, vehementissime incendebamur. Nunc, prohi dolor! tanto pignore orbati, hoc quoque solatio destituimur. “ Nos vero, per Te, Pater Re-

(a) Ita Petr. Matth. in Summa Constit. Sum. Pontificum pag. 367.

(b) Orat. habita 22. Feb. 1733. antequam Ben. XIII. corpus ad Minervam transferretur.